

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1145

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

ecclesia cultum magnificare monebant, dignum duximus antiquam traditionem privi-
 legii fratrum nostrorum sancti Thomę confirmare scripto stabilire, ut et memoria
 nostra apud illos non deleteretur et eisdem in vinea domini laborantibus temporalis
 stipendii subsidium non deesset. posteritatis igitur memorię intimamus, qualiter Otto
 5 pię memorię predecessor meus Argentinensis episcopus¹ communi dispensatione reli-
 giosarum personarum tertiam partem decimarum ecclesię sanctę Aurelię, quę presbi-
 tero attinebat, in usus fratrum sancti Thomę donavit et, quod unum ex fratribus
 suis eligerent, qui eidem ecclesię more boni pastoris preesset, concessit. quod et
 auctoritate sui privilegii confirmavit. cujus donationis quidem oportunitatem, tum
 10 quod ex penuria minus expediti deo militare poterant, prestabat, tum quia jure
 antiquitatis eandem ecclesiam fundatores possidebant². unde predicti fratres privi-
 legium traditionis istius in universali nostra synodo producentes recitaverunt et ab
 omnibus judicatum est, qui affuerant, nostra quoque auctoritate et banno debere
 roborari. ego igitur Burchardus licet indignus Argentinensis episcopus ex decreto
 15 totius synodi donationem antecessoris mei episcopi Ottonis, sicut iusticia dictabat,
 confirmavi. hoc quoque manuscriptum indicium nostrę confirmationis jussimus fieri
 et inpressione sigilli nostri insigniri, ut omni ambiguitate summota fratres sancti
 Thomę ecclesiam sanctę Aurelię secundum traditionem predictam obtineant, quatenus
 liberius deo et sancto Thomę mei memores famulatum exhibeant. adnotata quoque
 20 sunt in testimonium hujus rei nomina religiosorum, quorum iudicio hęc acta sunt,
 ut illorum etiam attestatione nostra firmetur auctoritas: Cōnradus prepositus majoris
 ecclesię, Gothefridus decanus, Bertholfus edituus, Bertholfus cantor, Harbertus
 scolasticus, Heinricus chorepiscopus, Cōnradus chorepiscopus, Regenhardus chor-
 episcopus et ceteri ejusdem ecclesię canonici; Bertholfus sancti Thomę prepositus,
 25 Gothefridus decanus, Otto edituus, Hartwicus, Gerhardus, Crafht, Rōdolfus, Gothe-
 fridus portenarius, Engelbertus, Hūg cellerarius et alii ejusdem loci canonici; Cōn-
 radus sancti Petri prepositus, Gothefridus^a, Heinricus, Wernherus^b abbas de Ethen-
 heim, Cōnradus abbas de Scuthere, Gothefridus abbas Gengenbacensis, Cōnradus
 abbas de Suarzaha, Adelhoch abbas de Hugeshoven, Otto abbas de Althorf, Ōdal-
 30 ricus abbas de Niwenburg, Karolus prepositus sancti Arbogasti. acta sunt hęc
 anno 1145, regnante Cōnrado Romanorum rege secundo, sub duce Friderico ejus-
 dem loci advocato et Heinrico advocato Argentinensi, imperante domino nostro Jesu
 Christo.

T aus Straßb. Thom. A. lad. VI s. Aurelię or. mb. c. sig. pend.

T 1 coll. ibidem or. mb. c. sig. pend. leso.

Gedruckt nach T 1 bei Ch. Schmidt Hist. du chap. de s. Thom. p. 289 nr. 5.

a) *T 1* Gothefridus. b) *T 1* Wernherus.

¹ *Bischof Otto von Straßburg, 1084—1100.*

² *Cfr. nr. 52.*